



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas**

**Antverpiæ, M.D.C XXX III.**

SS. Romanvs Et Barvla MM. 18. Novembris.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

RIVM. Itaque impostero miracula, quæ plurima patrabat, non sibi sed Divorum lipsanis, quæ ferebat, adscripsit. Congressus Romæ cum Greg. Pontif. cum hic viri staturam (multum animo minor erat) tacite miraretur, non nefcius arcanarum cogitationum noster, *Dominus, dixit, fecit nos; non ipsi nos.* Itaque maximi deinceps GREGORIVM ipse etiam Magnus Greg. fecit. Ex Sur.

SS. ROMANVS ET BARVLA MM. 18. Novembris.

PARabat anno Servatoris CCCI. Aselepiades Procos: excindere templum Christianorum Antiochiæ. Huic nimirum ROMANVS sese opposuit & dictis suis animos sociis unicus addidit. *Nunc demum pugnandum pro Aris cogitarent. Hostem utiq; esse Aselepiadem patriæ, qui huic DEVM ereptum irret. Pulchrum fore, ut aras defenderent, cadere ad aras litaturos. In quamcunq; demum partem alea caderet pugna, victores Christianos futuros.* Captus igitur velut seditiosus ROMANVS, & ex equileo suspensus, cum plumbatis caderetur, ferreum se præbuit. Quin causa optimæ fideus ausus est ad teneræ ætatis testimonium provocare. Audiret vel ex hæc iudex, Deumne unum an demonas tot colere præstaret? Et ecce evocatus BARVLA infans penè non minus

minus fortiter quam facunde pro DEO  
& ROMANO dixit, dictaque sua fla-  
gris & ipse concisus sanguine firmavit.  
Sic enim vero peroranti filiolo accla-  
mavit è turbâ mater fortissima, quin  
inter tormenta sitibundum objurgavit  
etiam, quòd aquam rogaret, quando  
Superi sanguinem ipsius sitirent. Inde  
ad supplicii locum & dux & bajula  
filii caput abscissum & sanguinem,  
dulci urnâ, sinu excepit. At ROMA-  
NYM ad ignes damnatum patrocinan-  
te cælo imber absolvit. Quin linguâ  
orbatus innocentiam suam tamè prius  
loqui non desit, quàm strangulatis  
faucibus vox intercepta est. Sed & hu-  
jus Echo cum plausu cælo excepta. Ex  
*Prud. & Chrysost.*

S. O D O A B B A S. 18. *Novembris.*

OFFICIO suo fungi patres à patre  
ODONIS discant, Vnicum & vix  
natum filiolum è cunis inter brachia in  
cælum sustulit, divoque Martino &  
sacris devovit. Dixisses assensum in-  
fantem, ita non tam lac maternum,  
quàm erga Martinum amorem suxit,  
qui scilicet cum puero deinde crevit,  
dum literis excultus inter Canonicos  
Turonenses est cooptatus. Sed cum  
tunc etiam vanis poetarum (& Virgilii  
præcipue) commentis plus quàm piis  
commentationibus vacaret, per somnū